

EXAMEN CENSURÆ

contrariū a Concilio statuatur. Sed nos hoc argumento pugnare nolumus. Neq; enim nobis tāti est quæstionis istius cognitio, ut propterea magnoperè laborandum putemus, cum de re ipsa ex Scripturis constat, prout hic constare manifestum est.

AD CENSURAM CAPITIS XVII.

De beneficiis & promissis divinis, ac primo de Electione ad gratiam, seu vocatione ad fidem.

IN hoc capite & sequente XVIII. controversia quinque Articulorum, qui vocantur, ex professo ventilatur. Hæc jam propria arena nostra est, in qua pes propius figendus est. Hoc itaq; nunc agamus, cum bono Deo.

Controversia quinque Articulorum ventilatur in hoc capite ex professo.

Primo paragrafo duo, ut ait Censor, effata Remonstrantium censentur: Prius est: Quod Remonstrantes gratiam universalem peccatori à Deo concedi statuunt, per quam aptus & idoneus sit ad omnia præstanda, quæ Euangelio postulantur, sub quo etiam Decalogi præcepta comprehenderunt, cap. xij. Posterius est, quod eam aptitudinem ad omnes omnino homines extendant. Quod ad prius effatum attinet, in eo videntur, inquit, veterem Pelagianorum cramben reponere, qui statuebant hominem per gratiam, quam Deus ei præstat, præcepta omnia divina complere posse. Quo sensu Remonstrantes dixerint peccatorem per gratiam divinam præcepta omnia Euangelij præstare posse, ex antecedentibus liquet: Quam longè eorum sententia a Pelagij sententia distet, ibidem non semel indicatum & demonstratum est. Sed quia huius rei tractandæ sedes hic propriè est & Censor hic de novo controversiã hanc movet, agè videamus quid de re tota sit: Timidè, & pro more suo, ingeminat hic Censor suam voculam, videntur, non obscurè innuens, se non audere apertè impingere Remonstrantibus Pelagij hæresin: Atq; hoc fortasse pro responsione hic sufficere posset Remonstrantibus: sed tantum abest ut Remonstrantes pro sui defensione aliud nihil habeant, ut contra probandum sibi sumant Censorum causam non habuisse, cur Remonstrantibus tribuerit, quod ista eorum sententia veterem Pelagianorum cramben, ut ait, videatur reponere. Atq; hoc quidem ut demonstramus, sic procedimus. Falsum est sen-

Hominè auxilio gratiæ divinæ prestare posse mandata Jesu Christi, non esse Pelagianum demonstratur.